

ait: Et si remittatur in eo, quod liberalitatis est, ex eo quod ad charitatem ordinatur; laudabilior, & maiori mercede dignus est, quam si liberalitatem ageret non in ordine ad charitatem. Secundò: nam etiam ratione ultimi finis minuitur voluntarium in ordine ad eleemosynam, propter eandem rationem: ergo etiam minuit bonitatem ex obiecto. Adde: Quia non est de ratione obiecti honesti, quod ordinetur ad aliquid finem ultimum in particulari, v. g. ad Deum: ergo persè non illi subordinatur: ergo ratio nostra non probat de hoc fine; & sic Deus vt ultimus finis dimittit bonitatem desumptam ex obiecto.

Ad primam obiectionem respondetur, D. Thomam non loqui in eo testimonio de ultimo fine, qui est Deus, sed de fine secundo, qui est proximus; vt liquet ex verbis precedentibus, nempe, *Cum quis dat suam, vt cum alero amicitiam habeat charitatis*: Et sic nihil contra nos. ¶ Nec refert, si dicas cum N. Salmant. in hoc tract. disp. 5. num. 23. §. *Advertendum est*, quod nec finis secundarius dimittit bonitatem ex obiecto: ergo prædicta solutio saltem non est ad mentem horum PP. ¶ Respondetur; sensum eorum esse, quando finis secundarius non sumitur per modum finis intermediij; & sensum D. Thomæ esse, quando proximus ex charitate amatur, vt finis intermedius respectu liberalitatis.

Ad secundam respondetur; verum esse, quod finis ultimus minuit voluntarium per ordinem ab obiectum proximum; sed est in eo specialis ratio supra adducta, quæ non vrget in alijs finibus. ¶ Ad additamentum respondetur, quod licet de ratione obiecti honesti non sit, per se ordinari ad Deum tanquam ad ultimum finem particularem, nec actus ex defectu talis subordinationis reddatur malus moraliter; est tamen de ratione illius, quod actualiter subordinatur ultimo fini in communi, vt applicato alicui fini ultimo in particulari, ex quibus integratur vnus finis ultimus totalis; & de hoc procedit doctrina prædicta, & si ultimus finis in communi applicetur Deo, de eo militat eadem doctrina.

29 Ex dictis infertur primò, idem dicendum esse de actu habente malum obiectum, & malum finem: Nam malus finis etiam dimittit malitiam ex obiecto, quia dimittit rationem voluntarij. Quod intelligendum est, etiam si finis extrinsecus, seu operantis non extrahat actum ad aliam speciem malitiae: nam licet ex additione huiusmodi finis augeatur malitia absolute; minuitur tamen ea, quæ desumitur præcisè ex obiecto; sicut qui furatur claves ab vno, vt expoliaret domum alterius. ¶ Infertur secundò, etiam dum obiectum est malum, & finis bonus, minuit malitiam ex obiecto, propter eandem rationem.

## Disp. II. de Moralitate ex circumstantijs.

30 Inquires secundò: An huiusmodi finis totaliter à peccato excuset? ¶ Affirmativè respondet Casianus collat. 17. afferens mendaciam alii quando reddi honestum ob bonum finem. Et fundatur in illo Matth. 6. *Si oculus tuus, id est, intentio, fuerit simplex, id est, recta &c.* Sed hæc sententia ab omnibus rejicitur vt erronea. Et probatur ratione evidenti: Nam bonitas moralis debet confurgere ex integritate eorum, quæ ad actionem hominis concurrunt, iuxta illud, *Bonum ex integra causa*: ergo solùm potest excusari à culpa, vel quia intercederet ignorantia invincibilis, qua stante nullum est delictum: vel quia affectus in bonum finem tollit voluntarij voluntarij in obiectum; sed seclusa ignorantia invincibilis, quatenuncque affectu esse appetatur finis, non tollit rationem voluntarij erga obiectum: ergo nec aufert omnem malitiam. Minor probatur: nam nullus malus finis totaliter aufert voluntarium: ergo nec bonus finis.

Neque textus suprà adductus est contra nos: quia eo ipso, quod intentio influat in electionem malam, non est recta. Verum quidem est, quod potest dari intentio de fine bono non determinando media, & hoc pacto intentio poterit esse bona, & electio mala; vt si intendere dare eleemosinam non determinando, an debeat fieri per furtum, vel per medium licitum. Sed tunc quamvis talis intentio esset bona, non tamen influeret in furtum, nisi per accidens, & remota (quod idem est, ac verè non influere) & tunc alia intentio positivè mala superveniens influeret verè, proprie, & immediatè in talem malam electionem.

31 Inquires tertio: Quomodo actus debeat referri in finem, vt ab eo recipiat bonitatem? ¶ Respondetur, non sufficere habitualem relationem, aut interpretativam; nec requiri formalem, sed necessariam esse relationem aliquam actualem virtutalem. Ita docet quoad omnes, & singulas partes expressè Div. Thomas 2. dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 6. alijque in locis.

Et quoad primam suadetur ratione: Nam vt finis bonus det suam bonitatem actui, debet actus in illum influere; sed finis non influit actu in actum, qui tantum refertur in eum habitualiter: ergo non sufficit relatio habitualis, ad hoc vt actus habeat bonitatem ex fine. Maior videtur per se nota: Tum, quia implicat causam finalem actu communicare suam perfectionem sine influxu actuali; sicut implicat, causam efficientem communicare actualiter suam perfectionem sine influxu actuali. Tunc etiam: nam habitus (v. g.) poenitentis non communicat suam bonitatem actui, in quem actu non influit idem ergo dicendum est de fine intrinseco poenitentiae: principium enim efficiens, & finis mutuo sibi correspondent. Minor etiam liquet.

nam

## Dub. II. An accedente bonitate finis, maneat bonitas, quæ est ex obiecto?

nam si actualiter influeret in actum, non tantum habitualiter, sed actualiter ordinaretur ad illum: nam actus eodem modo refertur ad finem, quo finis influit in illum.

Et confirmatur absurdus, quæ sequuntur ex opposito modo dicendi. Nempe quod peccata venialia sint bona & meritoria in homine gratia affecto: quia, vt alibi provabimus, habitualiter ordinantur ad Deum ultimum finem, & charitas habitualiter influit in ea. ¶ Sequitur etiam (dato, quod possit dari actus indifferens in individuo, vel per se, vel per accidens) quod in homine existente in gratia esset bonus & meritorius. ¶ Sequitur tandem, quod bonus actus habeat tot species bonitatis, quot sunt habitus boni in homine existentes; & quod actus malus habeat tot species mali, quot sunt in homine habitus mali: quia homo habitualiter est ordinatus ad eorum obiecta. Nec contra hoc est argumentum alicuius ponderis, neque vix invenitur Author, qui oppositum teneat.

32 Quoad secundam partem suadetur: Nam eo ipso, quod finis influat actualiter virtualiter, potest communicare suam perfectionem; sed finis potest influere virtualiter in actum, quin influat formaliter: ergo sufficit virtualis ordinatio in finem, vt actus recipiat ab eo bonitatem. Maior, & minor simul probantur ex paritate causæ efficientis: Nam hæc ad producendum effectum tam in esse physico, quam in esse morali non petit actu existentem influxum formalem, dum actu producit effectus, sed tantum petit, quod præcesserit influxus formalis, & quod, dum producit effectus, præstet influxum virtutalem; vt liquet in instrumentis phisicis, & sacramentis. Et in moralibus liquet in eo, qui ex intentione adimplendi votum facit peregrinationem, & in eo qui recitare incipit ex intentione adimplendi præceptum recitandi: in quibus, est non recordentur successu operis voti, aut præcepti, aut detur aliqua distractio involuntaria, manet tamen influxus virtualis. Et propterea D. Thomas lib. 3. Contra gent. cap. 138. ait: *Voluntas præcedens actum manet virtute in tota consecutione actus, & ipsum laudabilem reddit, etiam quando de proposito voluntatis propter quod actum incipit, in consecutione operis non cogitat.* In quo, quia est omnino certum, non immoramur.

33 Ex his facile colligitur veritas prædictæ resolutionis circa voluntatem interpretativam. Pro cuius luce, nota hæc esse duplicem: Aliam esse purè habitualem, quæ consistit in eo, quod aliquis sit totaliter dispositus ad hoc, vel illud facturum, quod si recordaretur, illud faceret, & tunc non possumus rectè iudicare, quod id defacto velit, sed ex dispositione illa habituali iudicamus tantum, quod illud faceret, si recordaretur. Et de hac intentione, aut voluntate interpretativa, quæ proprie est conditionalis, pro-

Paul. Tivol. Salm., Tom. II.

cedit resolutio, & manet factis probata ex dictis pro voluntate habituali. Quibus addimus, quod in Tyrijs, & Sydonijs cordate interpretatur ex verbis Christi voluntatem agendi poenitentiam; & tamen non habuerunt bonitatem illius. Similiter in Enoch interpretatur hoc modo malitiam ex illis verbis Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, & non propterea defacto habuit malitiam: ergo prædicta voluntas, aut ordinatio interpretativa non sufficit ad bonitatem actus.

Altera est actualis, quæ consistit in eo, quod quis possit, teneatur ad aliquid, & non faciat, & propter hoc divertit se ad illud incompatible cum eo: vt cum quis teneatur ad audiendum sacram, & tempore, quo instat præceptum, vult studere; tunc licet expressè, aut implicite non tendat in non auditionem sacri cordate interpretatur, velle illam non auditurum nem. Fatemur quidem, hæc relationem sufficere ad malitiam moralem, vt patet in exemplo adducto, & in primo peccato Angeli. Sed hæc relatio actualis interpretativa adhuc non habet locum in ordine ad bonum: quia fundatur in obligatione ad oppositum, & nulla est obligatio ad malum.

34 Inquires quarto, & ultimo: Qualis debeat esse finis, vt conferat actibus bonitatem; aut malitiam? ¶ Respondetur primò, quod licet finis obiectivè malus conferat malitiam, sufficit, quod sit improporcionatus. Et ratio est nam contra rectam rationem est, quod talis actus ad illum finem ordinetur: v. g. contra rectam rationem est, quod quis celebret missam propter temporalia, tanquam propter finem principalem; quod quis oret principaliter propter aliquid finem indifferenter: quamvis enim prædicti fines secundum se non sint mali, connotativè tamen sunt obiectivè mali: ergo sufficit ad hoc, vt finis tribuat malitiam, quod sit improporcionatus.

Et confirmatur: Nam eo ipso, quod quis intenderet conficere suum ultimum finem in obiecto secundum se honesto, peccat mortaliter; eo quod est finis improporcionatus totius hominis: ergo.

31 Sed obijcies: Nam potest quis actum charitatis ordinare ad satisfaciendum, vel ad cultum Dei; & tamen finis operantis est improporcionatus, quia est imperfectior: ergo finis improporcionatus non confert malitiam, si secundum se est honestus, sed potius confert bonitatem, vt patet in hoc exemplo. ¶ Confirmatur: Nam sepe obiecta superiorum virtutum ordinantur ad obiecta inferiorum, vt obiectum fortitudinis ad obiectum castitatis; ergo tunc finis operantis est improporcionatus, eo quod est imperfectior; & tamen confert propriam bonitatem: ergo.

Ad obiectionem respondetur, quod non



inconuenit, quod actus charitatis ordinetur tanquam ad finem ad obiectum inferioris virtutis, dummodo obiectum charitatis, qui est Deus, non ordinetur: quia predictus actus, & obiectum inferioris virtutis semper manent ordinata tanquam ad finem vltimum, & principalem ad Deum per quandam reflexionem virtutalem. Neque inconuenit, quod obiectum superioris virtutis, exceptis Theologicis, ordinetur tanquam ad finem operis ad obiectum inferioris, dummodo hoc non intendatur vt finis vltimus, qui est principalis. *Adde*: quod in vtroque casu finis, qui alias videtur operantis, potius est finis secundarius operis, quam finis primarius operantis. Et hinc non repugnat, quod praestet bonitatem propriam actui. Per quod coniat ad confirmationem.

## DUBIUM III.

*Verum actus externus addat aliquid bonitatis, aut malitiae actui interno?*

**M**erito hanc controuersiam anneximus huic disputationi: quia circa actus externos non instituta est specialis disputatio, & nullus est aprior locus ad illam. Nomine autem actus externi saepe iungitur à D. Thoma actus elicited ab alijs potentijs distinctis à voluntate, ab eaque imperatis, vt alibi monuimus. Vnde dubium est, an predictus actus addat aliquid bonitatis, vel malitiae supra actum elicited à voluntate? Quod alijs terminis solet excitari, an, nimirum, in actibus externis reperitur intrinsece bonitas, aut malitia moralis?

Sed nota, bonitatem, aut malitiam esse duplicem: aliam formalem, & alteram obiectivam, de quibus late pertractauimus disp. 1. iuxta quod certum est omnino, actum exteriorem pro priori ad bonitatem, vel malitiam voluntatis habere suam bonitatem, aut malitiam obiectivam modo ibi explicato. Et ideo difficultas tantum processit circa bonitatem formalem. Pro qua supponimus tanquam quid ab omnibus indubitatum, praecipuam bonitatem, aut malitiam residere in voluntate: quia omnis moralitas fundatur in libertate; & haec praecipue residet in voluntate, à qua velut à prima causa formali libertas dependet: ceterae potentiae in sua libertate, sive intrinseca, sive extrinseca; & consequenter in sua bonitate, vel malitia formali. Vnde sensus huius dubij est, an aliae potentiae distinctae à voluntate sint subiectum intrinsecum bonitatis, vel malitiae, ratione cuius addant aliquam bonitatem, & malitiam voluntatis? Vel an sint tantum subiectum extrinsecum bonitatis, & malitiae formalis, denominatione deumpta ab actu voluntatis.

37. Circa quam controuersiam tres reperio

praecipuas sententias: duas extremas, & aliam mediam. Prima extrema docet, in solo actu elicited à voluntate reperiri intrinsece bonitatem, aut malitiam; in actibus vero aliarum potentiarum, etiam si sint intellectus, & appetitus sensitiui, tantum reperiri extrinsece, denominatione proveniente ab actu voluntatis. Ita Curiel, Alvarez, & alij. Secunda extrema concedit actibus elicited ab alijs potentijs; nec non actionibus membrorum exteriorem bonitatem, aut malitiam intrinsecam, ratione cuius addunt aliquid bonitatis, aut malitiae actibus voluntatis. Ita Scotus quodlib. 18. art. 3. quem sequuntur omnes eius discipuli tam veteres, quam recentiores, vt refert Maltrius in hoc tract. quae. 5. Pro qua etiam adducit Ripaldam, Amicum, Granados & alios extra Scholam D. Thomae. Tertia & media defendit, in actibus elicited ab omnibus potentijs internis, sive pertineant ad partem affectivam, sive ad partem cognoscitivam dari intrinsece bonitatem vel malitiam, illamque addere actui voluntatis, secus vero in actibus sensuatum exteriorem, nec in actionibus membrorum exteriorem vt g. manus, pedis, &c. Hanc defendit quoad vltimam partem vniuersa Thomistica Schola cum suo Angelico Praeceptore, quem sequuntur plures Recentiores Societatis, Suarez, Vazquez, Salas, Ouedo, & alij. Et quoad primam partem omnes Thomistae, exceptis his, quos pro prima sententia retulimus. Et hanc vltimam sententiam quoad omnes suas partes docent N. Salmant. tract. de Peccatis disp. 10. dub. 1. quorum mentem sequentibus assertionibus explicabimus.

## §. I.

## Prima assertio circa membra externa.

38. **D**icendum est primo, actiones externas non esse intrinsece formaliter bonas, aut malas, sed denominari tales à bonitate existente in voluntate, & alijs potentijs. Haec assertio proculdubio est D. Thomae infra quae. 74. art. 2. Nam in corpore docet, omne id, quod est principium intrinsecum actus voluntarij, esse subiectum peccati; sed membra externa non sunt principium actionis voluntarij, vt docet ibidem ad 3. ergo iuxta D. Thomam actiones externae non sunt intrinsece bonae, aut male moraliter, sed tantum extrinsece, denominatione proveniente à bonitate, aut malitia alterius potentiae interioris. Et confirmatur: Nam iuxta D. Thomam ibid. sola illa potentia est principium actus intrinsecè boni, aut mali, quae potest esse subiectum virtutis, aut viti; sed membra externa non sunt subiectum virtutis, aut viti, cum hoc neget D. Thomas sensibus exterioribus infra quae. 50. art. 3. ad

3. vt infra referemus: ergo ex doctrina D. Thomae evidenter colligitur, actiones externas non esse intrinsece bonas, aut malas, neque addere bonitatem, aut malitiam actui interiori.

39. Et probatur primo ab autoritate: Nam si actio exterior esset intrinsece bona, aut mala, adderetque aliquid bonitatis, aut malitiae supra actum interiore, sequeretur, quod eleemosyna magna esset maioris bonitatis, maiorisque meriti, quam eleemosyna parva, stante aequalitate ex parte voluntatis; & ita eleemosyna à diuitem, qui plus potest dare, & eleemosyna à paupere, qui parum potest dare, ceteris paribus, non essent aequales in bonitate; sed hoc est contra Glossam ordinariam 2. ad Corinth. cap. 8. num. 11. vbi ait: *Qui multum dat diues, & qui parum pauper, si aequa voluntas est, aequalem habent mercedem*: ergo actio exterior non addit bonitatem, aut malitiam actui interiori; neque est intrinsece bona, aut mala. Et missis pluribus auctoritatibus SS. PP. apud quos voluntas pro facto reputatur.

40. Probatur ratione deducta ex testimonijs D. Thomae supra relatis: Nam solus ille actus est intrinsece bonus, aut malus moraliter, qui est intrinsece voluntarius, & liber; sed actio externa non est intrinsece voluntaria, & libera: ergo nec est intrinsece bona, aut mala moraliter; & proinde non addit aliquid bonitatis, aut malitiae supra actum interiore. Maior continet perpetuam mentem Div. Thomae, & omnium Theologorum. Minor vero probatur: Tum, quia actio exterior comparatur ad voluntatem, sicut actiones nostrae respectu voluntatis diuinae, proindeque potius sunt effectus, quam actiones; sed effectus extrinseci voluntatis non sunt intrinsece voluntarij, sed tantum extrinsece à voluntate illos elicente, seu imperante, quia de ratione voluntarij est, quod procedat intrinsece à potentia per modum exercitij illius: ergo actio exterior non est intrinsece voluntaria & libera. Tum etiam, & vrgentius: nam de ratione actionis liberae est, quod sit vitalis, recipiaturque intrinsece in eius principio; sed actio exterior non recipitur in agente, sed in passio, cum sit formaliter transiens: ergo.

41. Respondet primo Maltrius nobilis Scotista loco supra allegato num. 286. negando maiorem: Nam ad hoc, vt aliquis actus sit intrinsece bonus, aut malus, satis est libertas voluntatis, cui subijcitur: quia libertas se habet tantum vt conditio, seu fundamentum moralitatis; & potest multiplicari moralitas intrinseca, quin libertas multiplicetur. Et in hoc sensu inquit, quod actus imperatus, & simul elicited à voluntate non habet aliam libertatem distinctam à libertate actus imperantis; & tamen actus imperatus huiusmodi habet intrinsecam bonitatem, aut malitiam, & saepe specie distinctam.

Haec tamen eualio, vt bene perpensa ex ipse Paul. Theol. Salm. Tom. II.

ipso exemplo quod adducit, non tangit vniuersam nostrae rationis. Nam vel datur intelligi, quod eadem numero libertas sit intrinsece in actu imperante, & imperato, elicited tamen à voluntate vel quod à libertate, quae intrinsece est in actu imperante, denominatur actus imperatus extrinsece: Primum dici non valet: quia in in eius sententia, & aliorum Scotistarum libertas est accedens respectu entitatis actus; sed idem numero accidens nequit esse in diversis subiectis: ergo idem modus libertatis nequit esse intrinsece in actu imperante, & imperato. Vnde hoc modo eadem libertas nequit esse intrinsece in actu interiori, & exteriori.

Si dicatur secundum, eo ipso ratio nostra manet in suo robore: nam non stat quod libertas sit conditio necessaria, & fundamentum moralitatis, & quod non detur in actione externa intrinseca libertas, & detur intrinseca bonitas, aut malitia: ergo si actio exterior tantum est libera extrinsece à libertate intrinsece tantum existente in voluntate, nequit habere aliquam bonitatem, aut malitiam intrinsecam. Antecedens probatur ad hominem: nam in sententia huius Authoris moralitas non afficit actum immediate, sed libertatem; & propterea tract. de Peccatis quae. 5. docet, voluntarium tantum in causa non posse esse in se intrinsece peccatum: ergo non stat, quod libertas sit fundamentum moralitatis, & quod non detur intrinsece libertas, & detur intrinsece moralitas.

42. Dices: In nostra sententia ad malitiam intrinsecam sufficit libertas extrinseca; & in causa; & ita si omisio alicuius praecipit est voluntaria in causa, in se & intrinsece est peccatum, etiam si ponatur, dum quis caret libertate formali, vt ebrius, aut dormiens: ergo etiam libertas extrinseca voluntatis, cui subijcitur actio externa, sufficit, vt haec sit intrinsece bona, aut mala.

Respondetur; duplicem esse omissionem praecipit in dormientem aliam correspondentem, & oppositam actui externo adimplectivo praecipit; & alteram oppositam actui interno. De priori omissione idem dicendum est, ac de actione exteriori. Quocirca si actio exterior exercita à rationis compute non est bona, aut mala intrinsece, pariformiter dicendum est, omissionem praecipit externam ab ebrio, vel dormiente non esse in se formaliter peccatum. Circa posteriore omissionem, de qua videtur principaliter procedere, obiectio, & quae est libera tantum extrinsece & in causa, putamus si militer, non esse intrinsece peccaminosa, quamuis vis denominetur in se peccatum denominatione extrinseca proveniente à causa ipsius omissionis: Et quoad hoc nullam disparitatem recognoscimus inter eam, & actiones nostras externas. Haec est perpetua mens NN. Salmant. vt videri poterunt tr. 13. disp. 5. (vbi de ea agunt



expofitio, præcipue n. 59. & n. 120. nosque eius velligijs inherentes idem tradimus tract. de Peccatis. Nade fallum in obiectione fupponitur, dum in ea afferitur, fufficere in noftra fententia ad malitiam intrinsecam libertatem tantum extrinsecam, & in causa. Et ratio huius est: quia moralitas convenit actibus, quatenus sunt voluntarij & liberi; ideoque tunc solum erit eis intrinsecam, moralitas nequit esse eis intrinsecam. Idemque dicendum est de omissionibus, quia quoad hoc non est maior ratio in istis, quam in actibus, ut ex se liquet.

Inflabis: Ergo si in actu, aut omissione est tantum libertas in causa, in hac duntaxat erit moralitas formaliter, & non in illis. Patet consequentia: quia iuxta proximè dicta eodem modo aliquid est morale, quo est liberum, aut voluntarium. Respondetur negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, quod licet paritas teneat quoad moralitatem intrinsecam, secus verò quoad denominationem formalem extrinsecam liberi, aut voluntarij, & quoad denominationem formalem extrinsecam moralis. Nam ut aliquid denominetur extrinsecum morale in se, & non tantum in causa, satis est, quod in se lege prohibeatur: denominatio enim moralis sumitur per ordinem ad legem; sed ut denominetur voluntarium in se, opus est, quod in seipso egrediatur à principio intrinsecum, quia ita explicatur in definitione voluntarij, & ut denominetur in se liberum, est etiam necesse, quod in seipso sit sub dominio voluntatis: unde si, dum est in seipso, formaliter non dimanat ab ea, neque illi subest, nequit dici voluntarium, & liberum formaliter in se, sed ratione cuius emanat, quodque fuit eius causa. Hæc dicta sunt pro moralitate extrinsecam. Sed moralitas intrinsecam ad distinctionem extrinsecam quid aliud expofcit: & hoc aliud nequit esse, nisi quod emanat intrinsecè à voluntate; & si intrinsecè non dimanat, poterit quidem denominari in se formaliter morale, propter rationem insinuatam, non tamen intrinsecè.

43 Respondet secundò præcatus Author num. 287. concedendo maiorem; & negando minorem: Quia eo ipso, quod actio externa sit imperata à voluntate, participat ab ea libertatem intrinsecam, & distinctam à libertate intrinsecam voluntatis, quia membra externa necessarid subdantur voluntati ad nutum: quia hæc subiectio tantum arguit necessitatem ex fuppositione, que non officit libertati; ut constat in pluribus actibus imperatis à voluntate, five eliciantur ab ea, five ab alijs potentijs internis. Ratio verò, cur hæc necessitas non tollit libertatem intrinsecam ab actibus imperatis, est (in-

quit num. 288.) quia actus imperans non infert imperatum per modum cause, sed tantum se habent per modum prioris, & posterioris cum subordinatione quadam proveniente immediate ab ipsa voluntate per modum cause vixæ.

Hæc evasio plura involvunt falsa. Nam imprimis fallum est, quod actus imperans non dependeat ab imperante tanquam à causa: nam actus intentionis imperat actui electionis; sed actus intentionis est causa actus electionis, sicut assensus præmissarum assensus conclusionis, cum intentio determinet voluntatem ad electionem, sicut vnus assensus ad alium: ergo actus imperatus dependet ab imperante tanquam à causa. Hoc præcipue videt in actibus elicitis ab alijs potentijs: quia non sunt exercitia voluntatis, sed aliarum potentiarum, & hæc non aliter eliciunt suos actus, nisi prout ipse potentia movetur à voluntate; sed ab ipsis potentijs elicitijs pendet tanquam à causa: ergo etiam ab actu imperante.

Deinde fallum est, quod omnis actus, quecumque illa sit, eo ipso quod subdatur imperio voluntatis, debet participare ab ea libertatem intrinsecam. Nam ea tantum operatio est capax libertatis intrinsecæ, que verè comparatur per modum actionis, & non per modum effectus, vel est actio immanens, & vitalis, hæc enim tantum est capax libertatis, sicut & voluntarij intrinseci; sed actio externa vel tantum habet rationem effectus, vel est actio formaliter transiens: ergo, ut actio sit libera intrinsecè, non sufficit, quod subdatur imperio voluntatis. Unde nulla ex prædictis evasionibus tangit vim nostre rationis.

## §. II.

Alia duplex assertio circa potentias internas, & sensus externos.

44 Dicendum est secundò, in sensibus externis, v. g. in visu, non reperiri bonitatem, aut malitiam intrinsecam. Hæc assertio evidenter colligitur ex doctrina D. Thomæ infra quest. 50. art. 3. ad 3. vbi docet, prædictos sensus non esse susceptivos habituum: Quia secundum dispositionem suam naturam ordinantur ad actus determinatos: sicut & membra corporis, in quibus non sunt habitus, sed magis in viribus impræstantis motum ipsorum.

Et probatur ratione: Nam actus sensuum exteriorum non sunt intrinsecè liberi: ergo nec intrinsecè boni, aut mali. Consequentia ergo dicitur S. præced. liquet. Antecedens verò probatur: nam sensus externi solum subdantur imperio voluntatis quoad applicationem materię: ergo non sunt intrinsecè liberi. Antecedens est certum: nam visus (v. g.) non dependet à voluntate nisi in applicatione sensibilis ad ipsum, vel ipsius sensus ad sensibile, scilicet aperiendo oculos, vel claudendo; quæ actiones sunt omnidò

nindò externæ, & de illis habenda est eadem ratio, ac de cæteris actionibus externis: his tamen actionibus externis fuppositis, non est in potestate voluntatis, quod videat, vel non videat; quod est ingens argumentum ad suadendum, quod huiusmodi actiones non subiacent in se dominio voluntatis. Consequentia verò probatur: nam nihil, quod non cadit sub dominio voluntatis, est intrinsecè liberum, & vnquoqueque eo modo est liberum, quo subiacet eius dominio, ut ex se liquet: ergo si visus in suis operationibus non subditur dominio voluntatis, sed præcisè quoad applicationem materię, & hæc applicatio extrinsecam adhuc non est intrinsecè libera, à sortiori visio non est intrinsecè libera.

45 Ex his duabus assertionibus inferitur primò, actiones partis vegetativæ non esse intrinsecè bonas, aut malas, sicut nec intrinsecè liberas: nam in eis militat ipsissima ratio, ac in sensibus externis, & forte ac in cæteris actionibus externis. Inferitur secundò, quid dicendum sit de sensu communi: nam vel necessarid immutatur à sensationibus externis, itaut necessarid sentiat sententibus externis, & non sententibus sentire non possit: vel non dependet necessarid à sensibus externis, ad hanc sententiam, quod quamvis illi non sentiant, ille potest sentire; & quamvis illi sentiant, potest ille non sentire. Si dicatur primum, idem afferendum est de suis operationibus quoad bonitatem, vel malitiam, ac de sensibus externis, ut ex se liquet. Si dicatur secundum, applicandum est illis, quidquid in assertionem proximè sequenti de sensibus internis resolvendum est.

45 Dicendum est tertid, actus appetitus sensitivi, intellectus, & aliorum sensuum interiorum phantasiæ, æstimativæ, & memoriæ, esse capaces bonitatis, & malitiæ intrinsecæ, quibus affectus addunt actui voluntatis aliquid bonitatis vel malitiæ. Hæc conclusio quoad omnes suas partes colligitur aperte ex doctrina D. Thomæ: Nam de intellectu, & appetitu sensitivo docet, quod sunt subiectum virtutis, & vitij: v. g. intellectus est subiectum fidei, & insideliæ, prudentiæ, & imprudentiæ: in irascibilitate timiditatis, iracundiæ, temeritatis, & virtutes eis oppositæ, in concupiscibili castitatis, & luxuriæ, temperantiæ, & intemperantiæ. Pro quo videri potest pluribus in locis ex 1. 2. & ex 2. 2. Item de sensibus internis memoratis id docet infra quest. 50. art. 3. ad 3. vbi ait: In ipsis interioribus viribus sensitivis apprehensivis possunt poni aliqui habitus: quia etiam istæ vires moventur ad operandum ex imperio rationis. Idem docet quest. 56. art. 5.

Ex quibus deducitur ratio probativa huius assertionis: Nam omnes prædictæ potentie subdantur imperio voluntatis: ergo omnes sunt capaces bonitatis, & malitiæ in suis actibus. Antecedens, in quo tantum est difficultas, suade-

tur: nam nulla est potentia ex prædictis, quæ in aliquibus actibus non dependeat à motione voluntatis, itaut, positis omnibus prærequisitis ex parte actus primi, intellectus (v. g.) possit intelligere, & non intelligere, iuxta diversam motionem voluntatis: appetitus possit concupiscere, & non concupiscere, irasci, & non irasci; & sensus interior possit imaginari, & non imaginari, cogitare, & non cogitare, reminisci, & non reminisci: ergo omnes prædictæ potentie subdantur imperio voluntatis.

Et confirmatur: Nam in omnibus prædictis potentijs sunt tantum in subiecto intrinsecum, vel virtutes, & vitia; vel aliqui habitus quodammodo virtuosij, aut viciosi, ut supra vidimus ex D. Thomæ: ergo & actus eorum possunt esse intrinsecè boni, aut mali, & habent libertatem intrinsecam. Consequentia quoad primam partem probatur: nam habitus virtuosus potest influere in actum virtuosum, & habitus viciosus in actum viciosum, ut ex se patet; sed habitus, & actus sunt eiusdem potentie, ut expressè docet D. Thomas infra q. 73. art. 2. in corpore, vbi ait: Eiusdem (id est potentie) est actus, & habitus: ergo si omnes prædictæ potentie possunt esse subiectum habitus virtuosij, & viciosi, etiam possunt elicere actus virtuosos, aut viciosos. Nec refert, quod religio est in voluntate, & oratio, quæ est eius actus, est ab intellectu. Non (inquam) refert: quia potentia, in qua est religio, elicitive debet insinere in aliquid actum intrinsecum ipsius potentie. Quoad secundam partem probatur eadem consequentia: Tum ex dictis, quia omnis actus virtuosus, & viciosus habet intrinsecam libertatem. Tum etiam quia habitibus vtimur cum volumus, maxime virtuosis, aut viciosis: ergo actus sunt intrinsecè liberi.

46 Diximus supra, vel aliqui habitus quodammodo virtuosij, aut viciosi: ad inveniendum, quod in sensibus internis non possunt recipi habitus, qui sint proprie virtutes, ut tradit D. Thomas infra quest. 56. art. 5. nam virtus proprie talis solum est in eo subiecto, in quo consummatur actus virtutis: idemque dicendum est de vitio proprie tali; & actus prædictorum, ut sunt virtuosij, aut viciosi, non consummantur in ipsis, sed in intellectu: eò quod tendunt ad verum, vel ad falsum, quorum cognitio persè ad intellectum atinet; quamvis inchoative etiam pertineat ad huiusmodi sensus; quod sufficit, ut in eorum actibus sit aliqua vera, & formalis bonitas, aut malitia. Videatur omnidò D. Thomas loco citato: vbi, his non obstantibus, absolute concedit in his sensibus aliquos habitus virtuosos: ex quo deducitur, posse esse in illis habitus virtuosos; quia idem est subiectum contrariorum, & nullus est habitus virtuosus, qui non habeat aliquem habitum malum contrarium.

47 Ex dictis pro hac assertionem vltima aperte colligitur, quid dicendum sit de potentia



cia loco motiva: Nam hæc vel non distinguitur ab intellectu, & voluntate, vel ab ælimativa, & appetitu. Quocirca idem dicendum de eius operationibus, ac de operationibus prædictarum potentiarum; siquidem eius operationes sunt formaliter immanentes, & virtualiter transientes. Si verò in membris externis collocetur huiusmodi potentia, illi applicandum est, quidquid de actionibus externis dictum est.

## §. III.

*Argumenta Scoti contra primam, & secundam assertionem.*

48 **A**dversus primam conclusionem arguitur primò cum Scoto ex presso testimonio D. Augustini 13. *de Trinit.* cap. 5. ubi ait: *Mala voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium mala voluntatis impletur.* Sed hoc, inquit Scotus loco supra relato, non potest intelligi de miseria pœnæ: quia desiderans; & non potens habere, quod desiderat, plus habet de pœna, quam ille, cuius desiderium adimpletur: ergo debet intelligi de miseria culpæ: atque ideo actus exterior malus addit malitiam moralem actui interiori: & idem erit de actu exteriori bono à paritate rationis.

Ad hoc argumentum respondetur ex doctrina D. Thomæ quest. 20. art. 4. quòd licet homo, regulariter loquendo, fiat miserior reducendo ad opus malam voluntatem; non tamen sequitur inde, quòd actus exterior addat aliquid malitiæ actui interiori malo, sed tantum sequitur, quòd actus exterior sit causa aut occasio, ut actus interior fiat peior, vel quia usque ad executionem multiplicatur actus interiores; vel quia actus interior habet maiorem durationem; vel quia postea executione actus interior est magis intensus. Et his de causis optimè potuit dicere D. Augustinus, quòd voluntas mala fit miserior, dum desiderium pravum adimpletur. *Maximè*: Quia ad veritatem locutionis D. Augustini sufficit, quòd actus exterior addat novam malitiam obiectivam; quam habet ex se, quo pacto est terminus & complementum peccati: & novam extensionem malitiæ formalis per denominationem extrinsecam provenientem ab actu interiori malo, quòd aliquod incrementum miseriæ est etiam culpæ: siquidem miseria est intra genus culpæ, quòd actus exterior denominatur malus formaliter, licet à malitia existente in voluntate.

49 Arguitur secundò: Nam si actus externus non addere speciale malitiam actui interno, non teneretur quis illum explicare in confessione: hoc est contra praxim communem Ecclesiæ: ergo addit aliquid malitiæ. Sequela patet: nam tantum tenemur confiteri peccata.

Ad hoc argumentum respondetur, negando sequelam. Et ad eius probationem dicendum est, quòd ideo tenemur confiteri actionem externam pravam, quamvis in se, & intrinsecè non sit peccatum, quia præceptum Domini est, & hoc iustificat. Nec querenda est ratio, cur Christus præcepit confessionem actionis externæ, si semel non est intrinsecè peccatum; sicut nec querenda est ratio de alijs præceptis, vel dispositionibus. Est tamen inter alias vna congruentissima, nimirum, quia talis actio reipsa est mala, & peccatum grave, licet denominetur tale à malitia existente in voluntate; & congruum fuit, quòd præceptum extenderetur ad id, quòd formaliter est peccatum morale. Et instatur argumentum contra Maftrum, qui docet, voluntarium in causa non esse in se formaliter peccatum; & tamen esset contra praxim communem Ecclesiæ illud non confiteri.

50 Arguitur tertio: Nam actus exterior correspondet aliquod præmium saltem accidentale: ergo habet intrinsecam bonitatem. Patet consequentiam: nam præmium sive essentiale, sive accidentale correspondet bonitati morali. Antecedens verò ostendit D. Bernardus epist. 77. de martyrio, de virginitate, de actibus externis Doctorum, quibus, & non prædicè actibus internis correspondet aureola: ergo.

Et confirmatur: Nam actibus externis imponuntur pœnæ censurarum, que non debentur internis; sed censura non imponitur, nisi actibus; quisunt intrinsecè peccata, neque huiusmodi pœnæ incuruntur præcisè per actus internos: ergo.

Ad hoc argumentum cum confirmatione respondetur, quòd nullum præmium adhuc accidentale correspondet actibus externis, neque Ecclesia infligit censuras actibus externis; sed tam præmium accidentale, quam pœna, quæcunque illa sit, correspondet actibus internis, non solitarie acceptis, sed dependenter ab externis tanquam à conditione, sine qua Deus non conferret Martyribus, Virginibus & Doctoribus aureolam, que consistit in gaudio accidentalique sine illa Ecclesia potest conferre actibus internis pœnas; neque quis potest lucrari indulgentias concessas à Papa.

51 Arguitur quarto: Nam bonitas moralis est integritas omnium, que secundum rectam rationem debentur actui; & malitia est carentia alicuius eorum; sed alia est integritas actus externi, & interni: ergo etiam est alia bonitas, aut malitia utriusque actus. Minor probatur: nam actus externi sunt subiecti legi, & regulis morum; sed habent diversam conformitatem, aut difformitatem cum illis, ac actus interni: ergo alia est integritas moralis actus exteriori, & actus interni.

Confirmatur: Nam illa actio potest habere propriam bonitatem, aut malitiam, que persè potest cadere sub præcepto; sed actio exterior est huiusmodi: ergo. Maior constat: nam ut dixi-

mus

mus disp. præced. præceptum supponit aliquam bonitatem, aut malitiam fundamentalem in actu, quom præcipit, aut prohibet. Minor verò probatur: nam actus interior, & exterior prohibentur diversis præceptis in Decalogo: nam illo præcepto, *Non concupisces bonum proximi tui*, prohibetur actus interior; & illo præcepto, *Non furum facies*, actus exterior: ergo actio exterior persè potest cadere sub præcepto.

Ad argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd dupliciter subijciuntur actus exterior regulis morum; vel quatenus est obiectum actus interioris; vel quatenus est actus dependens, & procedens à voluntate. Aliter tamen, & alteram prout est obiectum, subijciuntur persè, & immediate regulis morum, sed ex hoc tantum arguitur conformitas, aut difformitas obiectiva, & pariter bonitas aut malitia obiectiva, que distinguitur à formalis, sicut quilibet actus à suo obiecto; & hanc bonitatem, aut malitiam obiectivam intrinsecam nunquam negavimus, quin potius declararam relinquimus disp. præced. At, prout est actus procedens à voluntate, non subijciuntur persè regulis morum, sed tantum ratione actus voluntatis: sicut nec est voluntarius & liber, nisi extrinsecè ab actu interiori.

Per quòd patet ad confirmationem: Nam nullum potest esse dubium, quòd, dum prohibetur furtum, prohibetur eodem præcepto voluntas furandi; & dum prohibetur voluntas furandi, prohibetur eodem præcepto actus exterior furandi, neque ex his præceptis aliquid speciale invenitur, ac in præceptis prohibentibus voluntatem homicidij, & ipsam homicidium, & voluntatem dicendi falsum testimonium, & ipsum testimonium falsum, pro quibus non assignantur in Decalogo diversa præcepta. Ratio verò, cur Deus id specialiter explicet in luxuria, & furto, cum sit eadem de alijs præceptis; est, quia, ut docet D. Thomas infra q. 100. art. 5. ad 5. materia prohibita in his præceptis est magis appetibilis ab homine, quam materia prohibita in alijs præceptis. Unde potest dici, quòd à quolibet ex his præceptis prohibetur directè actus interior, & exterior, aliter tamen, & alteram prout præceptum prohibens furtum, actio exterior prohibetur directè ut obiectum, & actus interior, ut actus: item per præceptum prohibens voluntatem furandi prohibetur directè ipsum furtum ut obiectum, & actus interior ut actus; sed actus exterior ut actus à nullo ex his præceptis prohibetur directè. Et ratio est: quia lex ut actum solum directè & persè præcipit, & prohibet illum, qui persè & ratione sui est voluntarius, & liber, ut supponimus; & liquet in actu exteriori, qui quantumvis ex se sit prohibitus, ut occidere, nisi supponatur libertas formalis ex parte voluntatis, non manet prohibitus ut actus. Actus autem exterior non

habet libertatem intrinsecam, adhuc supposito imperio voluntatis, sed tantum denominatur liber extrinsecè à libertate intrinsecæ voluntatis; & hac ratione hic actus à nullo præcepto prohibetur, ut actus persè, sed ratione actus interioris.

## §. IV.

*Argumenta adversus tertiam assertionem.*

52 **A**dversus tertiam assertionem arguitur primò: Nam actus aliarum potentiarum, que distinguntur à voluntate, non sunt intrinsecè voluntarij: ergo non sunt intrinsecè boni, aut mali. Consequentia ex huiusmodi dictis in hoc dub. & disp. r. facis liquet. Antecedens verò probatur: Tum ex D. Thom. infra q. 74. art. 1. ubi docet, esse de ratione peccati in quantum peccatum, & voluntarium est, quòd recipiatur in voluntate: ergo sentit, solos actus voluntatis esse intrinsecè voluntarios. Tum etiam: nam principium voluntarium est voluntas; sed de ratione voluntarij est, quòd sit in principio, à quo elicitur: ergo soli actus voluntatis sunt intrinsecè voluntarij.

Et confirmatur: Nam soli actus voluntatis sunt intrinsecè liberi: ergo soli illi sunt intrinsecè boni, aut mali. Antecedens probatur: Nam soli actus voluntatis possunt supponere iudicium indifferens: appetitus enim sensitivus solum supponit iudicium sensus, quòd est determinatum; & intellectus non supponit, sed elicit ipsum iudicium indifferens: ergo soli actus voluntatis sunt intrinsecè liberi. Patet consequentia; nam ad actum liberum omnino prærequiritur iudicium indifferens regulans illum.

Ad argumentum respondetur, negando antecedens. Ad primam eius probationem satis constat mens D. Thomæ ex alijs articulis sequentibus, in quibus absolute suadet, peccatum non esse tantum in voluntate, sed etiam in sensualitate, & ratione; & locis citatis n. 45. docet, in prædictis potentijs esse virtutes tanquam in subiecto intrinsecò. Unde hæc probatio potius debet retorqueri in Adversarios. Ad secundam probationem dicendum est, quòd id, quòd est voluntarium elicitivè, prout est subiectum peccati, tantum debet esse in voluntate, sed imperatively etiam potest esse in alijs potentijs, ut expressè tradit D. Thomas loco proxime citato art. 2. Hæc enim, prout imperantur à voluntate, participant ab ea aliquod intrinsecum, ratione cuius eliciunt actus intrinsecè voluntarios, quibus competit recipi in suo principio intrinsecò voluntario, non imperante, sed imperato.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est, quòd ad libertatem actualem intrinsecam actus sensitivus appetitus non requiritur, quòd iudicium sensus regulans illum immediate sit indifferens, sed sufficit, quòd voluntas possit illum



illum inferre, & prohibere, stantibus omnibus requisitis ex parte actus primi. ¶ Nec refert, quod iudicium determinatum sensus est unum ex requisitis ex parte actus primi, & hoc positum voluntas non potest prohibere talem actum. Non (inquam) refert. Nam voluntas potest inferre, aut prohibere tale iudicium, & ex consequenti actum ipsius appetitus. Et per hoc constat discrimen inter actus sensuum externorum, & actus sensuum internorum, & ex consequenti inter actus appetitus sensitivi, quod voluntas potest prohibere actus istorum, positis prærequisitis ex parte actus primi, v.g. speciebus, & applicatione materiae, secus vero actus sensuum externorum. Etiam patet discrimen inter actus appetitus sensitivi, & actus membrorum externorum: quia hi, estio subiecteant dominio voluntatis, comparantur ad illam præcisè per modum effectus, & actionis transcurrentis, secus vero actus appetitus sensitivi.

53. Arguitur *secundò*: Nam si in prædictis potentijs esset intrinsece moralitas, malitia actus esset diversa à malitia actus voluntatis: ergo cõfiterentur duplex peccatum: sed hoc communiter rejicitur: ergo non est alia malitia intrinseca, præter eam quæ refidet in actu voluntatis.

Ad hoc argumentum facile responderetur, quod licet in actibus aliarum potentiarum sit formalis malitia distincta realiter à malitia existente in voluntate, solum potest inferri, quod est duplex peccatum metaphysicè, secus vero moraliter, prout necesse est declarari in confessione. Et inflatur in actibus elicitis à voluntate, v.g. in intentione, & electione, de quibus nullus cordatè dubitabit, aut negabit, quod unusquisque actus importat suam malitiam intrinsecam, sicut nec negabit, quod habeat intrinsecam libertatem; & tamen solum constituunt duo peccata metaphysica, non moralia.

54. Arguitur *tertiò*: Nam si actus appetitus sensitivi esset capax bonitatis, & malitiae, posset esse peccatum mortale: sed hoc est falsum: ergo non est capax bonitatis, & malitiae intrinseca. Maior patet: quia malitia illius esset eiusdem speciei cum malitia voluntatis, quæ potest esse peccatum mortale. Minor verò probatur ex D. Thom. infra q. 74. art. 4. ubi docet, peccatum mortale non posse esse in sensualitate; eò quod hoc consistit in deordinatione circa ultimum finem, ad quem sensualitas non potest ordinari: ergo actus appetitus sensitivi nequit esse peccatum mortale.

Ad hoc argumentum responderetur; sensum D. Thomæ tantum esse, quod sensualitas secundum se, & prout præcindit ab imperio voluntatis, non est capax peccati mortalis: quod verissimum est. Sed per hoc non tollitur, quod, prout ab ea imperatur, non possit esse subiectum peccati mortalis. Neque ratio adducta ex D. Thom. aliud convincit: nam quamvis sensualitas adhuc

ex participatione voluntatis non veretur immediate circa ultimum finem, quia hoc est proprium voluntatis, verari tamen potest ex participatione illius circa media connexa cum illo, & à voluntate electa; & tunc eadem malitia mortalis reperitur in actu voluntatis, & appetitus.

55. Vitio arguitur ex Div. Thom. infra quæst. 20. art. 3. ubi docet, ita se habere bonum respectu voluntatis, & actus exterioris, sicut se habet sanum comparative ad animal, ad medicinam, & urinam; sed sanum solum convenit intrinsece animali, medicinæ vero & urinae extrinsece: ergo bonitas solum convenit intrinsece actui voluntatis; actibus vero exterioribus extrinsece à bonitate existente in actu voluntatis. Iam si sed nomine *actus exterioris* accipitur D. Thomas omnes actus imperatos: ergo in actibus intellectus, & appetitus sensitivi non reperitur bonitas, aut malitia intrinseca.

Ex hoc argumento inieritur, bonitatem non reperiri intrinsece in actibus imperatis à voluntate, & simul elicitis, puta in electione; quia nomine *actus exterioris* etiam intelligitur à D. Thom. actus imperatus, etiam si sit elicitus à voluntate; quod non concedit Adversarij. Igitur D. Thomas in loco supra relato solum agit de actu proprie exteriori, qui procedit à sensibus, & membris externis, ut rectè suadent nostri Salm. tract. 13. disp. 10. n. 20. Vnde prædictum testimonium multum roboris præstat primæ, & secundæ assertioni, sed ex eo nihil potest concludi contra tertiam.

## DISPUTATIO III.

De indifferentia actus humani.



Ro complemento huius Tractatus, addimus hanc tertiam & ultimam disputationem de actibus indifferentibus; de quibus expressè agit D. Thomas in hac q. 18. art. 8. & sequenti alitque in locis. Indifferentia autem actus humani potest esse duplex alia in ordine ad bonum, & malum; altera in ordine ad meritum, vel demeritum. Et hæc vterius potest esse duplex, vel in ordine ad præmium vite æternæ, vel in ordine ad aliquod præmium temporale. Si ergo loquamur de indifferentia in ordine ad præmium vite æternæ, planum est, dari plures actus indifferentes tam secundum speciem, quam secundum individuum, ut sunt omnes actus boni moraliter eliciti à peccatore, qui non sunt meritorij vite æternæ: eò quod meritum illius dependet essentialiter à gratia, ut trademus tractatu de Merito infra: neque demeritorij, ut ex se liquet. Si loquamur de merito, aut demerito secundum quod, seu in ordine ad præmium temporale, hoc pacto idem dicendum

*Dub. I. An detur aliquis actus indifferens secundum speciem?* 497  
tum est de indifferentia ad meritum, & demeritum. ac de indifferentia ad bonum, & malum moraliter: quidem condignitas ad præmium, vel supplicium est passio quatuor modo proprii bonitatis, aut malitiae moralis. Vnde ad hanc disputationem tantum spectat agere de indifferentia prima ad bonum, & malum moraliter.

## DUBIUM I.

An detur aliquis actus indifferens secundum speciem?

Licet præcipuus scopus huius disputationis sit indifferentia actus humani prout in individuo; oportet tamen nonnulla prælabere circa eum, sumptum secundum suam speciem, seu secundum id, quod habet ex suo obiecto essentiali. Pro quibus deservunt hoc, & sequens dubium. Pro resolutione tamen huius dubij aliqua supponenda sunt.

## §. I.

Nonnullæ suppositiones.

Supponendum est *primò* contra nonnullos (quos supprebis nominibus referunt Mag. in 2. dist. 4. r. & D. Thomas ibidem dist. 40. q. 1. art. 5. & ibidem ad Annibald. q. unica art. 3. & q. 2. de Malo art. 57.) non omnes actus humanos ex specie sua esse indifferentes. Ita communiter Theologi. Et colligitur aperte ex scriptura, ubi plures actus secundum se sumptis commendat, & alios vituperat; ut liquet in illo Tobie 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & elemosyna.* Et in illo Apost. 1. ad Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere.* In alijs locis vituperatur mendacium, fornicatio, odium Dei, peritium, quæ non referimus ob prolixitatem vitandam. Accedit quod plures operationes lege naturali, & absolute præcipiuntur, ut cultus Dei, honor Parentum; & aliz prohibentur, ut homicidium, adulterium; sed quæ lege naturali absolute prohibentur, secundum se, & ex sua specie sunt mala, & quæ præcipiuntur, bona: ergo non omnes actus humani sunt ex sua specie indifferentes. Adde: Nam dantur habitus ex sua specie boni, & ex sua specie mali: ergo etiam actus: nam habitus inclinant ad actus eiusdem rationis.

Nec refert, quod nullus est actus, qui ex circumstantijs non possit fieri bonus, aut malus; vel liquet in actu habente obiectum bonum, si adit circumstantia mala; & in actu habente obiectum malum, si adit ignorantia invincibilis. Non inquam refert: Nam saltem actus amoris Dei ex nulla circumstantia potest vitari peisè loquendo. Adde: quod dato, quod omnis actus possit vitari, iam supponitur, quod habet obiectum bonum, & ex hac parte nequit esse ex obiecto indifferens. Et si supponitur habere obiectum malum, necessariò inferitur, quod vel non sit hu- Paul. Theol. Salm. Tom. II.

497  
manus; vel quod absolute sit malus. Maximè quia iam supponitur, habere obiectum secundum se malum, & ita ex obiecto nequit esse indifferens.

2. Supponendum est *secundò* contra alios (quos etiam supprebo nomine referunt D. Thomas locis relatis) quod si dantur opera, quæ ex obiecto sint indifferentia, etiam verba. Et ita sicut quedam opera sunt ex se bona, & alia ex se mala, & alia ex se indifferentia, ita dicendum est de verbis. Et ratio est: quia eadem ratio est de verbis, ac de operibus: siquidem verba sunt figura rerum, & conceptuum: ergo si ex operibus quedam sunt ex se bona, & alia mala, & alia indifferentia; etiam ex verbis quedam debent esse ex se bona, ut laudare Deum dicere veritatem; alia mala, ut verba his opposita, & alia indifferentia, ut canere, vocare Petrum, &c. Vnde difficultas est cum Scoto, an possint dari actus humani, qui ex sua specie sint indifferentes. Negativam sententiam tuetur expressè Subtilis Doctor in 2. dist. 7. q. unica art. 1. quem sequuntur aliqui eius discipuli, ut Vulpes dist. 69. art. 9. & 10. & alij, quamvis Mastrus in hoc tract. num. 305. illum explicet, & trahat ad sententiam communem, referens pro ea nonnulla loca, in quibus concedit actus indifferentes secundum suam speciem, quibus (ut inquit) standum est: quia sine evidenti contradictione defendi non valet, quod detur actus indifferens in individuo, & non ex sua specie. Affirmativam defendit Div. Thomas in præf. art. 8. quem sequuntur omnes eius discipuli, necnon communiter Authores ex Schola Iesuitica, & Scotica.

Difficultas etiam est, an detur actus indifferens ex genere, & non ex specie? Affirmativam tenent Salas tract. 2. disp. 4. sect. 1. in princip. Illa dephonus Baptista disp. 189. dub. 2. & alij, quibus suffragantur N. Salm. ut infra dicemus. Negativam defendit Montensis in præf. disp. 2. §. 9. 14 §. *Mibi tamen videtur.*

## §. II.

Quadruplex assertio pro veritate asserenda.

3. Dicendum est *primò*, dari aliquos actus indifferentes ex suo obiecto specificante. Hæc assertio potest probari ex auctoritate SS. PP. nam lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 18. inquit D. Augustinus: *Sunt quedam facta media, quæ possunt bono, vel malo animo fieri, de quibus iudicare temerarium est.* Ex quibus verbis probatur assertio: nam aliqui actus sunt, de quibus libere factis est temerarium iudicare, eò quod possunt fieri ex bona, vel mala intentione: ergo necessariò fatendum est, quod prædicti actus ex sua specie sunt indifferentes. Probatur consequentia: nam de actibus ex suo obiecto bonis licitum est nobis iudicare, & etiam de actibus ex suo obiecto pravis; & sic

Ret non